DE NOBILISSIMO HOSPITE COMITIS DE TRAUSNITZ NOMEN PROFESSO

Et in Villa Pinciana Burgheſiorum Principum excepto die 27. Maji 1716.

EPISTOLA


Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Præſulem data.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi 1716.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/denobilissimohos00verk


J. Verkruys f.

EXPECTAS, Illustrissime Præsul, Ephemeridis noſtræ Romanæ penſum diurnum: & aurem ſin minus vellis, amicè ſaltem mones, aut fortaſſe miraris, nihil ad te literarum hactenus à me datum fuiſſe per dies quindecim, ex quo ſcilicet Nobilissimus Hospes in Urbem redux ex itinere Neapolitano, pręſentia ſua noſtras iterum beavit oras. Avere te certe ſcio cum Tullii noſtri Attico, tum ſcire quid modo agatur, tum à me ſcire. Quod autem non urgeas tamdiù ceſſantem, id profecto facis moderatè nimis, atque indulgenter. Moderationi tamen atque indulgentiæ tuæ vicem reddo. Fidem libero. Penſum numero, & quidem cumulatè. Habebis, non jam vernaculas literas, ſed latinas. Scitaris cauſam? Accipe ex noſtro Vate.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egreſſus ſylvis vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis, at nunc . . . . .

Papæ! inquis. Quæ te nunc admovet aſtris Urania præreptum terris? aut quæ Clio ſuſtulit in Parnaſſum, tubam ut Heroicam cogites, qui proximis diebus humili avenæ inflandæ te imparem cum ſentires, etiam à vernaculis literis abſtinebas? Nempe in Suburbanum Burghesiorum Principum heri conceſſimus. Pincianam in Villam Hospes Nobilissimus nos deduxit. Jure noſtro facere jam videmur, ſi quid audemus.

———————— *Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit

hoc in Suburbano antiquæ majeſtatis imaginem heſterna die ſe nobis dediſſe:

Et quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores

ſe luculenter oſtendiſſe. Communem itaque modum literarum facilè obliviſcor. Romanæ dignitatis ſpecimen, quod Burgheſiæ domos ſplendor admovit oculis, ſua luce ita eoſdem perſtrinxit, ut inde aureum colorem ævi Auguſtæi noſtris etiam pagellis obductum iri perſentiam. Fluere itaque neceſſe eſt veteris copiæ venam etiam in literas, quas parabam vernaculas. Si quid autem inelegans inſperſum, aut admixtum repereris, id omne profectum ex noſtro vulgari cenſu facilè intelliges, & ſeparabis à rebus, pro quarum majeſtate, ac nitore, vel leviter adumbrando, vix alio, quàm antiquorum ſtylo uti liberum eſt tantam expertis magnificentiam.

Heſternam igitur diem, quam numerabamus vij. Kalendas Junii, Burgheſianæ Villæ luſtrandæ deſtinaverat Princeps Ille, qui ſe Comitis nuncupatione donandum ut ſemel monuit, antiquariorum noſtrorum excitavit ingenia, ut vetuſtam illam epigraphen in nummis Latinis frequentem Soli Invicto Comiti eidem aptarent, dum Pannonicæ expeditionis indicem impoſterum aſſumendam in Bavaricis numiſmatibus augurantur. Verùm hæc alias, cum Academiæ Capitolinæ erit hiſtoria texenda. Nunc ſiſtimus in Pinciana.

Comes itaque de Trauſnitz (quandoquidem ita nominandus eſt) ſacris domeſticis ut interfuit circa meridiem, ad Burgheſianum ſuburbanum convivio excipiendus conceſſit. Princeps Roſſanenſis, cùm tanto hoſpite honeſtandum eſſe locum gratularetur, ne quidquam elegantiarum ac decoris omitteret, pridem rogaverat, atque impetraverat, ut Comes excipiendus, hoſpitis perſonam oblitus, herilem in Villa aſſumeret: juberetque, per atrienſes ſuos ita curari admiſſiones, ut conviva aut ſpectator adeſſet nemo, quem ipſe Trauſnitzius non deſignaſſet. Burgheſiæ domus affinibus & cognatis id unum præſervavit Roſſanenſis, ut eos adhiberet participes obſequii ſui erga Sereniſſimam Domum Electoralem, quos certè extraneos reputari à tanto honore ſanguinis jura non patiebantur. Delegit verò florentiſſimam coronam Principum è Pontificiis familiis, quarum nomina literarum ex ordine percenſebo: nempe ex Alteria, Boncompagnia, Burgheſia, Chiſia, Ludoviſia, Roſpiglioſia: quibus ſe (comitem dixerim an complementum?) addidit opportunè ex Albana Excellentiſſimus D. Carolus Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XI. Fratris Filius; cùm nobiliſſimum ejus Fratrem Abbatem Alexandrum adverſa valetudo in Caſtro Gandulphi contra ſuum, omniumque votum, ut ſcis, detineret. Nomina Principum virorum ac feminarum, quæ adfuerunt invitante Roſſanenſi (cùm affines reliquos ruſticatio longinquior, utpote ab urbe remotos, non facilè ſineret advocari) hæc ſunt. Ex Alteria familia Princeps cum Conjuge, Principum Chiſiorum illuſtri ſobole. Ex Boncompagnia Principem filiam Juſtiniano Principi uxorem datam ſecum adduxerat Vidua Plombini Princeps, Ludoviſii ſtemmatis proles inclyta. Ex Burgheſia Roſſanenſis Principẽ utramque legerat, Conjugem ſcilicet ſuam, & Filiam, cum tribus ab hac proximis liberis, ejuſdem Virginis Fratribus. Ex Chiſia & Roſpiglioſia familiis, quas mutuæ affinitates jungunt ſecum ac ſuperioribus, aderat duplex par Conjugum, Chiſii ſcilicet ipſi, Ariciæ, & Farneſii Principes, è Roſpiglioſiis verò Principes Civitellæ. Summa igitur capitum ex Pontificiis ſtirpibus aſſumptorum pertingebat ad ſexdecim.

Delectum comitum & convivarum ejuſmodi coronæ pergratum adhibuerat Comes de Trauſnitz: quorum ſe ducem ipſe cum præſtitiſſet, duos ſupra viginti addebat jam numeratis. Decem ex his adduxerat

ſui

ſui domeſtici Comitatus Nobiles Viros: quos inter eminet Excellentiſſimus D. Comes de Weltz Auguſtiſſimi Cęſaris à ſanctioribus conſiliis ſtatûs. Quinque proximi Aulæ muneribns adſcripti ſunt, ſcilicet Eques Hieroſolymitanus Santini, idemque inter militum Præfectos, ut vocant, Generales à Sereniſſimo Electore Bavarico relatus: Baro de Cloſen: Comes de Piuſaſco Pedemontanus: Comes de Praiſing: Comes de Lodron. Alii verò itineris comites conſequuntur, nempe Comes de Trauſkirch: Comes de Veritate Veronenſis, idemque equitum ductor, Santini junior, & Parenzius, Lucenſes. Præter hos domeſticos aſſeclas invitaverat Trauſnitzius è Polonica nobilitate Principem Czartoreski; ex Germanica Abb. ex Comitibus de Sinzendorf, Aulici apud Cæſarem Cancellarii Filium; ex Tirolenſi Abb. ex Comitibus de Lodron; Comitem de Wiſſerwolf ex Auſtria; Comitem de Scherotim Sleſium; Comitem Fugger è Suabia; & Comitem Rothal; ex Italicis verò familiis Equitem Hieroſolymitanum Raſponum, & Baronem atque Equitem Scarlatti, apud quem ipſe hoſpitatur. Aderamus itaque ad convivium acciti octo ac triginta.

Princeps Roſſanenſis adventum Nobilissimi Hospitis expectabat pro Villæ foribus cum Primogenito ſuo egregiæ indolis Filio Excellentiſſimo D. Camillo. Statim ab ingreſſu januæ uterque occurrit è rheda exſcendenti: mox eundem proprio exceptum curru cum comitibus ad palatium deduxit. Princeps uxor Roſſanenſis ædium in veſtibulo aderat cum duobus proximis liberis Excellentiſs. DD. Franciſco, & Jacobo, exemplo utriuſque Parentis Hoſpitem excepturis. Ex atrio in aulam propiorem ingreſſi, quam ſignis & columnis magnificenter inſtructam amplitudo ſatis commendat, multo auguſtiorem redditam vidimus apparatu vaſorum, pretioſiori ex metallo fulgentium, in quo ars cum materia certabat. Utrimque aſſurgebant in abacis amplioribus ſtatuta fulcra, ad ſuſtinendas lances, mole & elegantia præſtantes, atque ita diſpoſitas, ut parietem fermè totum obtegerent. Dextrorſum occurrebant vaſa partim aurea, partim ex argento deaurata, numero, arte, pretio planè admiranda. Erant enim pleraque ſignis aſperata, & variata emblematibus artificum præſtantiorum. A læva conſpiciebantur pares abaci, myrrhinis vaſis onuſti, ex India convectis, tum etiam chryſtallinis noſtrorum opificum ſtudio fabrefactis lancibus, cyathis, crateribus, cymbiis, omnique ſupellectili tricliniari. Hærebat animus, utram præferret ſcœnam: ita commendabatur in alterutra pro vario ſpectantium ingenio decor & amplitudo.

Ut ex aula priori quæ obiicitur meridiano, conceſſimus in proximam ad Boream ſitam, ipſique magnitudine parem, ac vices triclinii ſupplentem, ſeſe offerunt menſæ, oppiparis ferculis magnificenter inſtructæ. Verùm ad ſe pertrahebant intentos oculos ſigna antiqui operis celeberrima, quæ in utrâque aulâ ſpectantur, Græcorum

 ac

ac Latinorum ſculpturæ potiora monumenta. Hæc ut hoſpitibus ſingillatim ſpectanda proponerentur, præibat Excellentiſſima Princeps Roſſanenſis cum Marito, & circumducebat Bavaricum Comitem de Trauſnitz per utrumque triſtegum palatii. Ibi clypeatas imagines Imperatorum, aut thoracicas ampliores, aut capita viſebamus, Marci Aurelii præſertim, ac Lucii Veri, molis, & artis commendatione nulli non præferenda; & quod unicum ſcio, Pertinacis Auguſti. Hæc verò ſpectantur in aula, quam à celebri ſigno *Sileni* vocant. In proximis cubiculis ſigna ærea complura viſuntur cum ſimulacris marmoreis maximi pretii, Caſtoris, ac Pollucis, Herculis, aliorumque. Omnium verò oculos in ſe convertit ſtatua Gladiatoris, opus Agaſiæ Epheſii, cujus & nomen retinet. Verùm quid immoror his percenſendis, quæ tot artificum imitatione, tot commentariis eruditorum illuſtrata cum ſint, Burgheſiæ Villæ nomen ubique gentium concelebrant? Nam quotuſquiſque eſt ita hoſpes in artibus politioribus, ut neſciat, hujuſce Villæ ſigna, & anaglypha cum vetera tum recentia, tamquam artis oracula conſuli à ſculptoribus perinde, & à pictoribus? Sive inſpiciant Centaurum à Cupidine vinctum, ſive Ægyptiam Pſeudomantem, aut Hermaphroditum, ſeu Charites, & tibiam ori admoventem Faunum in ſuperioribus ædibus demirentur; ſive in inferioribus ſpectent cum Gladiatore Agaſiæ, ac recenſitis veterum ſimulacris, Bernini etiam opera, Davidis præſertim funditoris, ac Daphnes Apollinem fugientis, Algardi etiam Somnum ac Pueros in ſuperioribus, ætatis noſtræ, & artis decora non poſtrema. Ea dum pergimus perluſtrare, occurrunt ex gynæcæo Principes feminæ jam memoratæ: quibus invicem ſalutantibus accedens NOBILISSIMUS HOSPES, invitat convivas ad conſidendum.


Diſcumbentibus aderat ita frequens numerus atrienſium, ut ſingulis præſto forent plures ad nutum miniſtri. Hæc verò inſervientium copia plurimum tribuit ad illum ordinem cuſtodiendum, quem in tanto numero convivarum, & ferculorum fuiſſe planè ſingularem fatentur omnes. Niſi tot Principes adfuiſſent, præſertim ille præcipuus; putare unuſquiſque poterat, ſibi uni epulum inſtructum: ita parata erant ſingulis quæcumque libuiſſent. Prima inſtructio menſæ conſtabat lancibus pluſquam octoginta. Vidiſti fortaſſe, Pariſiis cum degeres, impreſſum Lutetiæ librum ante annos quatuor de rei triclinariæ elegantia in epulis inſtruendis. Auctor orditur à diſpoſitione dati numeri convivarum, & ferculorum: tum figuris pluribus exhibet lancium magnarum, mediocrium, ac minorum ſtigas: quæ certis legibus ordinatæ geometricum quiddam præſeferunt ipſo in apparatu menſarum: ut cibi neceſſitas, quam in victu quotidiano ceteris cum animantibus natura corporis habet communem, in honorariis hiſce conviviis elevetur quodammodo ad ſpiritûs oblecta-

men-
















mentum, & ad ordinis contemplationem. Ut ut ea res ceſſerit ſcriptori memorato; certè in epulis Burgheſianis enituit maximè. Lances ampliſſimæ ſtrigam medianam conſtituentes, præter eam, quæ menſæ centrum occupabat, erant ut plurimum biſſenæ. Duplus numerus mediocrium diſponebatur alternis juxta earundem interſtitia in ſtriga ſecunda, ac tertia, hinc inde à mediana appoſitis: atque ita diſtributis, ut locus ſupereſſet quartæ, & quintæ ſtrigę lancium minorum, quæ latera mediarum ſtipabant. Tredecim igitur ampliſſimæ (ſi mediam duodenis adnumeres) cum 24. mediocribus, & duplo numero minorum, conſtituunt ſummam lancium 75. per vices ſingulas inferendarum. Quatuor verò cum fuerint ferculorum illationes diſcretę; ad lances circiter trecentas convivalis apparatus excrevit.

Cum epularem geodæſiam potiùs quàm Apiciana ſalſamenta proſequi velle ſim profeſſus, nihil attinet dicere, quanto cum delectu ciborum atque elegantiarum lances ſingulæ inſtruerentur. Vidiſti dulciaria, quando ſub veſperam adventabas. Inde poteris de reliquis judicare. Nihil non inſtructum ad leges magnificentiæ. Juſculenta & elixata in primis ferculis cibaria continebantur, cum interpoſitis altilium perinde ac ſylveſtrium volucrum minorum aſſatis carnibus, cupediis, tomaculis, ac ſalſamentis. Torrida ſubinde ſegmenta majorum quadrupedum è paſcuis aut venatione quæſita ſecundis epulis imponebantur. Tum verò remotis linteis mappis, & argenteâ ſupellectili, qua illa fuerant inlata, ſubjectæ Hollandicæ telæ menſas ſecundas inſtruebant, onuſtas omni aquatilium genere, natantium, & cruſtaceorum, intermixto etiam cenſu terreſtrium animalium, necnon è regno vegetabili herbarum, ſtirpium, fruticumque myrrhinis ex India vaſis impoſito. Poſtremò his etiam remotis epulis, aureiſque fuſcinulis, cochlearibus, & cultris cuique reſtitutis (cum argentea ſupellex paulò ante hanc auream immutaſſet) illata ſunt dulciaria. Fructuum genus omne, ſaccharo qua imbutum, qua etiam cruſtatum, inter communes lautitias jam recenſetur. Peculiaris elegantiæ ornamentum hoc in epulo ſpectantum fuit, ſcilicet ſacchari ita ſubtiliter in filamenta ducti, ut velum tenuiſſimum imitaretur, aranearum telis ſubtilitate ſua ferme conferendum: cujus argentea fila incluſos fructus tutari videbantur. Arborum donis vitium proventus reſpondit. Vina enim pretioſiora, ſive petita è Canariis Inſulis, ſive ad Rheni tractum, ſive ad aureas Hungariæ Fodinas in Tokæienſis territorii collibus, huc perlata fuiſſe videbantur, ut cum Provincialibus, Hiſpanicis, Italicis de præſtantia certarent.

Aſſidebamus ex hora ſecunda ad quartam ferme pomeridianam, ſpectatores ex convivis redditi decoris, ordinis, elegantiæ, magnificentiæ tum exceptorum, tum excipientium. Ut ſurreximus, invitat

tat Roſſanenſis Trauſnitzium ad proximum viridarium: ubi Flora æquè mirabilem pompam explicat, ac in convivio Pomona. Circumducimur ad aviarium turturum, & per deflexum Borealis ambulacri regredimur ad poſticas ædes, in earundem parietibus admirati anaglyphorum veterum copiam, præſtantiam, eruditionem, qua Regia hæc Ædes Muſarum ac Minervæ undique conveſtitur. Ab Orientali plaga objicitur Curtius ex equo præceps, Patriæ damna ſuo periculo redempturus. Ab Occidentali Spelæum Mithræ, ejuſque ſacrificiorum imagines ac ſymbola conſpiciuntur.

In Boreali facie dum ſiſtimus, Principes Feminæ ſeſe comites exhibent, aut ſpectatrices ejus venationis, quæ Hospiti Nobilissimo parabatur. Inſtructi currus ſejuges, eſſeda, bigæ, equi ſingulares pro lubitu diſcurrentium. Verùm ex his forma qui erat præſtantiſſimus, & perito domitore ad equitandi artem idoneus maximè redditus Trauſnitzio offertur à Roſſanenſi: cautionem artis præbente Filio natu maximo, qui Patris juſſu experimentum equi ritè domiti ſeſſuro Hoſpiti præbuit. Nobilis imprimis domitor Pindari cytharam excitaſſet Heronis laudibus aſſuetam, aut hymnos veterum in Tyndaridas. Ipſe enim Excellentiſſimus D. Camillus equum propriis è præſepiis lectiſſimum (gaudet enim Burgheſia Domus nutrire eorundem genera ex Italis magnopere commendata, modico capite, amplis naribus, auribus applicatis, lato pectore, rotundis genibus, cruribus rectis & æqualibus) ita ſibi obſequentem reddiderat, ut domini ad nutum pedem alterutrum elevaret, ſeſſurum equitem placidè exciperet, inſidentem ſuperba quadam oſtentatione geſtaret, curſum alacriter explicaret, facile inflecteret, è pro regentis lubitu variaret, abrumperet, omnibus denique uſibus haſtiludii, venationis, ac belli ſe promptum redderet atque expeditum. Acceſſerat ad muneris complementum ornatus inprimis elegans, dorſuale auro phrygiatum, pretioſa ephippii ac freni ornamenta, & minora tormenta duo; quæ ſi veterum ætas tuliſſet ante inventum nitrati pulveris, haberentur poetarum judicio Vulcani opus, Minerva præſide elaboratum. Nos qui nænias hujuſmodi cum rhetorum ſubſelliis reliquimus, peritiſſimi artificis manu perfectum dicimus, in auro argentoque cælando, & in chalybe minutatim incidendo ac inflectendo diu exercitæ. Equus & arma Achilli noſtro oblata (ita enim rite nominatum noſti in lucubratione pridiana Poetæ peritiſſimi, quam in Ædibus Comitis Bolognetti magnifico cum apparatu & ſuavi modulatione concini audivimus) eundem prodiderunt in Comite de Trauſnitz latentem. Inſilit enim iſte in equum expeditè. Medium excipiunt Roſſanenſis Princeps & Polonus, aliique comites adequitantes. Nec ita multo poſt eoſdem conſequitur Excellentiſſimus Albanus, adventum equitatus ſui pauliſper moratus. Feminarum principum eſſedum in apertum campum deduci reliqui nobiles curant:

quò


DEO SOLI INVICTO MITRHE



quò ſcilicet devexâ jam die adventurum Trauſnitzium ex venatione ſylveſtri præſtolarentur, ut fugientes in aprico ſpatio capreos ac damas inſequeretur. Interea ejuſdem generis feras vivario incluſas & ſepto diſcretas, dum inter arboreta diſcurrunt, ſclopetis minoribus ipſe ſolus exagitat: abſtinentibus ceteris ab exploſione, ne quidquam incautè peccaretur. Quatuor ictibus totidem animantes proſtravit; cum nullum tentaverit vacuum gloriâ & prædâ in ea venatione. Perducitur hinc ad leporum ſepimentum, Sole jam occumbente: quæ cauſa fuit, ut ab eo venatu reditus expeditior maturaretur. Vix Lunæ fulgore adiutus ſub extremum lucis crepuſculum ad nos revertitur: in aprico tamen prato ſtatim perſequitur citâ excurſione examen capreorum, ad cubitum ſe recipientium: ſed ab ictibus temperavit. Ita exercitum cum laude Hoſpitem nobiles comitatus Principum mulierum ac virorum equis & curribus conſequuntur, & ad ædes redeuntem ſtipant.

Patebat jam unicuique honeſto viro liber ingreſſus in Villam ædeſque Burgheſianas; cum Hoſpitis ſecuritati ſatis conſultum fuiſſet in arcendis à domeſtica venatione ſpectatoribus quos ipſe non delegiſſet. Complentur ædes equeſtris ordinis viris, Principibus, ac Præſulibus, aucturis præſentiâ ſuâ hilaritatem ejus diei, quam Urbis ſtudia, in Hoſpitem prona & in Exceptorem, tam commodè proceſſiſſe gratulabatur. Patebant jam in aulâ priori cum auro argentoque potorio, in ferculis, uti diximus, ad ſpectandum propoſito, bellaria & dulciaria, eo ferme ordine quo fuerant in prandium illata; uberiori tamen ſuperaddita copia pro majori numero confluentium: translatis quoque menſis ex aula Boreali in Meridionalem, ut muſicæ exercitationi & choreis liberior illa præſervaretur.

Aſſidentibus ad ſuavem cantilenarum concentum iis qui convenerant, noctem perduximus ad horam Italicam ſecundam. Miniſtrantur de more hoſpitibus potiones gelidæ, & cocholatis, cum intermixtis dulciariis. Muſica inſtrumenta jubentur canere modulationes aptas choreis. Tum verò Comes Trauſnitzius Principem Roſſanenſem, utpote Dominam Domûs, invitat: quæ honoris tanti vicem Hoſpiti atque affini ſuæ ut deferret, tradit Hospiti Nobilissimo Ludoviſianę Principis Filiam, Principem ſcilicet Juſtinianam, cum ipſo choreas inituram ex utriuſque invitantis deſignatione. Alternis deinde vicibus delectum ſimilem exercuerunt ipſo cum Principe omnium peritiſſimo quotquot aderant (præter Ludoviſiam Viduam, Alteriam, ac Roſſanenſem Matrem, à choreis abſtinentes) affines reliquæ: necnon Princeps Polonicus, & peritiores nonnulli ex Comitatu Bavarici nobiles Viri, atque ex ejuſdem deſignatione: quibus Ipſe Nobilissimus Hospes inſtructor aderat, ac præſes choreæ.

Unum hìc præterire non licet nobiliſſimæ indolis documentum & edu-

educationis in familia Principum Burgheſiorum, quod attentè intuentibus nobis ſpectaculum viſum eſt virtutis eximiæ, ac prudentiæ, in puerili præſertim ætate perrarum. Illud conſpeximus in Roſſanenſis Principis filio natu minimo Excellentiſſimo D. Paulo. Probè noſti tum ejus, tum Fratrum Principum vim mentis eximiam, ſibi divinitus datam, & corporis aptitudinem ad equeſtria quælibet exercitia nobili juvene digna, in quibus à parentibus excoluntur. Fuerat ille ad ſpectandum ſitus loco non ſatis commodo. Prætendebantur enim obtutui complures ex admiſſis non modò aſſurgentes temerè, ſed confertim confluentes, qui nec ſatis caverent, ne illi forent impedimento. Rogabamus, ut commodiori loco recipi dignaretur: nec deerant, qui ejus elegantiam alias admirati in exercendis choreis, ſuaderent, ut artis ſuæ ſpecimen hac nobili in corona edere vellet. Utrumque modeſtè declinavit. Tribus enim horis ferme ſolidis eodem, quo Patris juſſu ſitus fuerat, perſtitit loco, perinde tranquillus, ac ſi nemine intercedente ſpectaret univerſa. Specimen verò ut ederet peritiæ ſuæ, cujus eſt in illa ætate, florenti præſertim ingenio præditis, cupiditas maxima, nemo ab adoleſcente impetravit, antequam Bavaricus Princeps modeſtè recuſantem ſuaderet. Morem ille tum demum geſſit, tantaque cum elegantia functus officio eſt, ut plauſu totius theatri primas modeſtiæ, artiſque non poſtremas tulerit palmas. Conſtantiæ, prudentiæ, ac moderationis exemplum edere, præſertim in remiſſione animi, & cum decori cauſa des operam jucunditati, indicium indolis, & educationis eſt planè admirandæ. Hujuſmodi igitur exercitatione producta ad horam ferme primam à media nocte, viſum eſt ſatis conſultum fuiſſe hoſpitum honorificentiæ, & publicæ hilaritati. Quapropter officiis ſalutationis invicem redditis, omnes in Urbem ſe receperunt.

Quæ ſubinde geſta ſunt à receſſu noſtro in feſtiva direptione bellariorum & totius dulciarii apparatûs, arte ac magnificentia tanta conſtructi, pro Burgheſiæ Domus ſplendore, animo conſequi facilè poſſumus; cum perſpectam habeamus hujus Familiæ profuſam in omnes gratiam & liberalitatem. Dabam ex Ædibus in Quirinali vj. Kalendas Junii MDCCXVI.

FINIS.

94-B
18496
XXX
THE GETTY CENTER
LIBRARY